

# Pierij Val.Mare.

Neptuni, amicitiam eius sibi cōciliantis: tanta fuit eorum hominum in quos co-  
lebant deos vanitas & impudentia.

## S I L E N T I V M.

**S**unt verò qui Pythagoræ præceptū, quo edixit ipse, ἔχθιον μὴ γέσας θηρίον, propter ἐχεμνήσαντα quā religiose adeò præcipere cōfuerat, factū putent: pisces ta-  
citurnitate nihil est quietius, prouerbio inde desumpto, Pisces taciturnior: qua-  
propter visi fuerint pisces Pythagoræ quodammodo contubernales. Et Lucianus Alcyone, ἀφωνά γὰρ δηλιγερχούσιος θεός μητέρας: muta, quæ aquā incolunt.  
Ita Lucretius mutas eos natātes appellavit. Ex piscibus autē, uno excepto bo-  
ca, cui à boando, id est vocem emitteō nomen inditum, reliqui omnes dubio  
procul taciturni sunt. Et quamvis, vt apud Ælianū est, quidam, vt lacerta, chro-  
mis, aper, grunnire videantur, sibilare chalcis, & cuculum imitari coccyx, tenuia  
tamen ita sunt ea vocis indicia, vt inter vocales recenseri minime mereantur.  
Nisi verum illud est quod Pausanias Arcadiæ fluuiū memorat, in quo pisces na-  
scantnr quos Pæcilias vocant, qui turdorum auiū voces edant, quodq; similes  
in Aorno fluui Philostephanus Cyrenæus memorat, quosq; vocales in Cli-  
tore fluui ponit Mnæfeas Patrensis. Taciturnitatis vero huiusmodi quæ sit in  
piscibus, ita Flaccus meminit:

*O mutis quoque piscibus Donatura cygni si libeat sonum.*

Quām appositè autem & Claudianus silentiū hoc piscibus attribuit, dum Rha-  
damanthum ait loquacissimos viros, & qui autī sunt arcana prodere, in pisces  
indui apud inferos iubere his vērsibus:

*Qui iusto plus esse loquax, arcanaque jucuit  
Prodere, pisces fertur viciatur in vandas,  
Vt nimiam pensent eterna silentia vocem.*

Atqui Pisces orientibus genitos, dicacissimos futuros ait Manilius quarto:

*Nec vobis ut primos animo præcedere pisces,  
Garrulitas odiosa datur linguaq; venenum,  
Verba maligna nouas mussant semper ad aures,  
Crimina per populum populi fere ore bilingui.*

Sed vt ad Pythagoram redeamus, Plutarchus, Sylla, cum ait vesci solitū ijs quæ  
dijs immolata fuissent: cùm verò pisces nullus ad sacrificiū idoneus haberetur,  
ea quā profitebatur religione ab eis abstinentē censuisse. Sed quantū pertinet  
ad sacrificiū, non cōstare id multis docuimus exēplis. Idē Pythagoras mare Sa-  
turni lachrymas esse dictabat, quasi vellet ex hoc eius impuritatem innuere.

## H U M A N A E V I T A E C O N D I T I O.

**A**gyptij sacerdotes igitur, vt propositū est, mare perniciem vocabant, ea  
præsertim de causa, quod cùm totius alimenti sui beneficia ex Nilo con-  
querentur, corrumpi eum simulac mari commiscebatur animaduertebant: atq;  
ita mare dicebant quod in humano genere vitale est vitiare. Vt verò scripture  
hieroglyphicæ speciem aliquā oculis subiijciamus, in Sai pro vestibulo templi,  
quod Palladi dedicatum erat huiusmodi visebatur argumentum: Infans, senex  
accipiter inde mox pisces, postremoq; omnium fluuialis equus: quod humanæ  
fragilitatis conditionem indicat à pueritia vergentis in senium, ac iterum repue-  
rascētis: accipiter verò Deum, ac perinde amorem, quodq; in nobis diuinū est,  
ac vitā ipsam vitalem ostendebat. Pisces, odium simul atq; morte, propter mare,  
quod exitium atq; perniciem appellabant. Equus vero fluuialis impudentem

violē-